

ratis, viscositatis, friabilitatis, ariditatis &c. Reliqua determinatoria sunt, qualitatum nempe (2) *Gustabilium*, quæ generali vocabulo dicuntur *Sapores* (3) *Olfactibulum*, quæ communis nomine vocantur *Odores*. (4) *Visibilium* tūm primæ, *Lucis*, cui opponitur *Umbra*, tūm secundarum, quæ generaliter appellantur *Colores*: (5) *Audibilium*, uno verbo *Soni dictarum*. Quæ omnia adhuc in generali seu communi parte pertractat *Philosophia Naturalis*.

*Quæ omnes
sunt
sensus
sunt
sunt
sunt*

§. 21. Sicut autem inter omnes sensus nobilissimi sunt & præstantissimi, *Visus*, & *Auditus*; ita licet reliquorum sensuum qualitates singulorum singulis membris peculiaribus, quoque fieri potest, in generali Physicâ tradantur, (præsertim quod qualitates tactiles concernit, & quidem primas, quarum scientia specioso quodam invento, quod *Thermoscopium* dicimus, non ita pridem locupletata est à veris Naturæ Consultis: Secundæ qualitates tactiles in genere nullam difficultatem habent: *Sapores* & *Odores* speciale magis in hoc vel illo corpore, quam generalem merentur considerationem) præstantissimæ tamen omnium sunt scientiæ *Lucis* & *Sonorum*, quarum illa *Optica* dicitur, hæc *Musica*.

*Primario
tamen*

(i) *In Opti-
ca*

*Lux & Um-
bra,*

*præcisō sen-
sorio*

§. 22. Est autem *Optica*, *Scientia Lucis*, quæ radiorum per Diaphanum in res aspectabiles incidentium naturam & affectiones scrutatur, Colorum causas & varietatem evolvit, qualitatem & quantitatem rerum aspectibilium quantum talium pervestigat, atque ita generalem hanc Corporis naturalis qualitatem, *Lucem*, & *Umbras*, cum annexâ pelluciditate scientificè tradit. Quod autem structuram Oculi concernit, & quomodo species visibles, postquam retinæ sunt impressæ, per nervos opticos transferantur ad sensum communem, illud præcisè spectat ad Zoologiam inferiùs tradendam; in antecessum tamen institutis quibusdam experimentis, ea, quibus ad hujus nobilissimæ scientiæ complementum & ornamentum indigemus, eadem operâ simul adducimus, ut quænam & quanta sit utilitas, quæ ex Physica generali in speciale redundet, quasi aliud agendo simul innuamus.

§. 23.